



1688.

1. Alberti, Georg. Tobiasi: Vindicias juris civilis  
... proponet.

2. Berger, Fr. Henricus: De transmissione hereditatis.

3. Berger, Fr. Henricus: De auctoritate rixae.

4. Brendel, Joh. Karpar: Furbitium principis clementia  
Temperaten ... publicae disquisitioni subijcit.

5. Duennhaupt, Johannes: De politicorum aequivo-  
catione

6.<sup>a</sup> Euersti, Joh. Christophor: De Eusebio episcopo Caesariensi.

6.<sup>b</sup> Euersti, Joh. Christophor: De Eusebio Pampoli episcopo  
Caesariensi

7. Falck, Nathanael: De eo, quod licitum est subditis

7.<sup>a</sup> in causa oppressae religionis

8. Helzer, G. Michael: De actionis quod metus causa  
in tale peculiari

9. Hoeltich, Franc. Henr: ~~Foemina non est homo~~ <sup>in 1672</sup> Eingebunden!

10.<sup>a</sup> Kirchmayer  
10. Kirchmayer, Georg Karpar: De auro obryzo et argento  
purulato.



1688.

11. Ludovicus, Johan Georgius: De juramento.
12. Strauss, Godofredus: Exercitatio XXVII. ad lib. Tit. 10. 559  
599. De testamentis; item ad Tit. 11. de militari testamento.
13. Strauss, Godofredus: De juribus Augustae competentibus  
~~13. Strauss, Godofredus: De iuris equitatis.~~
14. Neickmann, Joachimus: De jure sepulturae per doctores  
Xs. p. 14 v. anno  
a. 6.
15. Ziegler, Theophrastus: De jure revocandi, quod agnatis  
solis et jure retrahendi, quod filiis cum agnatis  
competit 2 exempl.

1689.

1. Alberti, Georg Tobias: Deliberationes juris . . .  
publicae proponunt proponet . . .
2. Alberti, Georg Tobias: De jure expellendi conductorem
3. Berger, Fr. Godofredus: De polygono cordis
4. Berger, Fr. Godofredus: De animi deliquiis
5. Berger, Fr. Henricus: Ordinis iuridici decanus  
lector . . . (orationi adense Christiani Schulzii  
invitat)



1689.

6. Berger, Jo. Henricus: De jure ex pacto revocandi  
si vendatur
7. Brendel, Joh. Kasper: Immutabilitatem juris natu-  
ralis — publice ventilationi exponit . . .
8. Brendel, Joh. Kasper: Positiones juridicas . . . publi-  
cae disquisitioni proponit.
9. Brendel, Joh. Kasper: De circumstantiis actus humani  
morales boni.
10. Ernst, Joh. Christophor: De Eusebio episcopo Caesariensi.  
p. 2.
11. Falcke, Nathanael: Quid substitio pro dependendis  
legibus fundamentalibus liceat?
12. Fleckhauer, Aug: Invidiosissima caritas et perspicui-  
tas sacrae scripturae et corporis juris Civitis Furti-  
niani contra attractantes adversarios.
- 13<sup>a-b</sup> Hornius, Kasper Hiero: De jure circa rem alienam  
singulari. 2 Sentt.
14. Horn, Kasper Hiero: De feudo Franco.
15. Schwarzfleischer, Ludov. J.: Stricture ad historiam Herfordiae  
pertinentes.



1689.

16. Strauss, Godofredus: De actionibus feud. nomine cum  
potentibus.

16<sup>a</sup> Weber, Andreas: De Tartaris.

17. Weikensmaier, Elias: De Frederico Senobarbo.

18<sup>a-b</sup> Litzler, Konrad: De torturis seu quaestionibus.  
2 Exempl

1690.

1. Alberti, Georg Tobias: De manu regia.

2. Beckler, Jo. Jacob: Biga quaestionum historicarum.

3. Bründel, Jo. Konrad: Fui anphynticum.

4<sup>a-b</sup> Bründel, Jo. Konrad: De beneficio ordinis  
fidejussorum.

5<sup>a</sup> Heber, G. Michael: De jure offerendi.

6<sup>a</sup> <sup>Kirchmayer</sup> Kochenreiter, Christianus: Militem iurjurandum

causato sese obligationem... in arenam producit.  
7. Schwarzfleisch, Konrad Sam: Medicum auctoritati principis consulit.  
7<sup>a</sup> Schwarzfleisch, Konrad Sam: De veteri agerum

ista.

8. Schwarzfleisch, Konrad Sam: Praem consularum  
... edisserit

9 Schwarzfleisch, Konrad Sam: Ex antiquitate ritum

salutari per osculum publico inquirendum proponit



1690

10. Schurzfleischer, Konrad Samuel: *De Sismio.*
11. Strauss, Godofredus: *De jure liberorum in parentum  
adhuc viventium bonis.*
12. Wille, Hermannus: *De Talionis.*




*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*













2491.

19

1689

**DELIBATIONES IVRIS**

**SECUNDO NUMINE**

**FAVENTE**

**MAGNIFICO IVRECONSULTORVM ORDINE**

*PRAESIDE*

**GEORG. TOBIA ALBERTI D.**

**PVBlice PROPONET**

**CHRISTOPHORVS BINDERVS**

**BISCHOFFW. MISNICVS.**

**MENSE AVGVSTO clb lbc LXXXIX.**

**VITEMBERGAE**

---

**LITTERIS SCHVLTZI.**





INCLVTAE  
ANNAE MONTAN. REIP.  
SENATV I  
NOBILISSIMO

Offero

Hoc pietatis testimonium

Quod sine laesa pietate non  
offerri debebat

C. B.





# DELIBATIONES IVRIS.

## I.

### IVRA LIBERTATIS.



bertatis iura umbratili more monstraturus rem amplam quidem suscipio atque impeditam non tamen inexplicabilem. Argumentum tam intricatum quam pulchrum et per varias iuris nostri sedes dispersum. Quare nobis etiam paratam veniam speramus si exciderint, tela nonnunquam scopo, sique a sententia veritatis, quam sectamur longius fuerit aberratum. Per iura libertatis quae iureconsultis, res quae merae facultatis sunt, veniunt intelligimus actus ex libertate naturali communes quorum non usus etiam per longissimum tempus reipublicae nihil nocet, sed statum libertatis retinent neque a lege civili restricti intelliguntur. Antequam autem de ipsis iuribus libertatis et quaeque discussae sunt causae ac controversiae dicamus, pro huius partis instituto fas imprimis est disquirere de iis quae ad originem huius materiae spectant. Condidit Deus hominem ceu nobilissimum animal, non ad miseras, sed ad bonorum omnium abundantias, non ad servitutem

A 2

sed



Gen. 1. 6. 28.  
et 29.

l. 1. de LL.

Consul. illu-  
stris Ziegler-  
us in notis  
ad H. Gros.  
Cicero l. 2. de  
natura Deor.

sed ad imperium totius orbis, cui vniuersa subessent cuiusque dominium animantes quoque omnes vltro agnoscerent. Data hominis vita, ipsi etiam omnia ad vitam sustentandam necessaria indulgenda, et ob nobilitatem suam omnia quae terris continentur subiicienda erant. Deus enim initio statim orbis conditi Adamo ius in terram eiusque fructus et omnes bestias attribuit, et mundo post vniuersam inundationem reparato clarius idem repetitum et confirmatum iuit. Constat igitur domini originem esse referendum ad mundi primordium, et protoplastos donationis titulo dominos terrarum ex libera Dei voluntate esse factos. Donationem et Cicero agnoscit: Ad hominum commoditates tantam rerum vbertatem natura largita est, vt ea quae gignuntur donata nobis consulto non fortuito nata videantur. Huius donationis vi Adamus dominus totius orbis terrarum factus. Ex his nevtiquam sequitur dominium ita in homines transiisse, quemadmodum inter mortales vulgo solet, vbi nullum ius remanet in donatore. Quaecunque enim sunt in hoc mundo Dei atque mortalium putanda. Dei sunt perfecta proprietate sicut homines ipsi sunt sub pleno eius dominio: hominum sunt iure precarii, et instar peculii seruilis, quod constat plena proprietate ad herum pertinere; seruo tantum habente facultatem vtendi fruendi, atque de eo statuendi ad nutum domini. Proprium autem serui dici potest eiusmodi peculium, intuitu aliorum seruatorum quibus nihil iuris in id herus concessit. Vtitur quidem sacra scriptura talibus loquendi modis qui vberrimam disponendi facultatem et dominium satis indicant: *subiicite terram, dominamini piscibus maris, volatilibus coeli et vniuersis animantibus omnia manui vestrae tradita sunt.* Ex hisce manifestum est, non nudum vsum aut vsum fructum hominibus concessum: quia haec iura exercere debent, salua rei substantia et vsum tantummodo cotidianam vitae necessitatem spectat. Concessum igitur  
tur



tur homini a Deo ius aliquod plenius usufructu in re aliena constituto, quem vulgo iureconsulti formalem appellant. Omnia licet appetere facere et agere homini, quae naturae eius quatenus rationalis est non repugnant. Potentia humana aut libertas, in natura et singulis non aequis limitibus cum diuina potentia circumscribi debet. Deus enim neququam cum homine suam potentiam communicauit, ut potentia mortalium sit ipsa numinis potentia, eoque omnino liberrima. Ista enim libertas, quae omnis impedimenti nescia nullos agnoscit limites in solum Deum cadit, quae tanquam nobilissimum attributum perfectae ipsius essentiae concipitur. Sicut enim inter potentiam summi numinis et eiusdem sapientiam ac voluntatem (quatenus voluntas et potentia Dei idem sint non disputabo cum Scholasticis) perpetua est harmonia ita naturae potentia ac singulorum neququam sapientiae huic et voluntati iungenda, sed mortalibus, eadem in potentiae suae usu pro cynosura ac regula semper est habenda. Requirebat sane humanae naturae dignitas et praestantia, qua coeteras animantes eminet, ut certam ad normam ipsius actiones exigerentur, quippe citra quam ordo decor aut pulcritudo intelligi nequit. Maxima inde homini dignitas quod animam obtinet immortalem, lumine, intellectus facultate res diudicandi et eligendi praeditam et in plures artes solertissimam. Ob quam ille audit *sanctius* reliquis *animal* *mentisque* *capacius* *altae*, et quod *dominari* in *coetera* *posset*. Deinde cum tot mala homines nunc invicem inferant, et in hac humanorum affectuum ferocia et varietate solos affectus coecumque horum sequantur impetum potentissimum numen libertatem hominis naturalem sanae rationis & legis vinculo ligauit, ut non disfidium et bellum sed pax et tranquillitas, non iniuriae mutuae aut nocendi voluntas, sed mutuus amor qui sociales facit homines ex humanae naturae statu profuant. Nulla dari potest societas sine amore et le-



gis vinculo ; quia quem odio habemus eum non expeti-  
mus nobis coniungi, sed auersamur potius ac modis omni-  
bus fugimus, volumusque longissime ab oculis nostris  
submotum. Amor autem pro fundamento habet bo-  
num aliquod in altero, siue illud sit honestum siue iucun-  
dum siue vtile. Sed quamuis te amem, propter vnum  
alterumque horum bonorum aut propter omnia: societas  
tamen minime orietur nisi et tu pariter propter similia me  
bona complexus fueris. Quin nec mutuus ille amor suf-  
ficit ad perfectum & constantem societatem; sed requiri-  
tur vt et accedat vitae coniunctio, et per legitimos trami-  
tes calumniantium iniquitates expellantur. Nulla so-  
cietas iniuri potest nisi frenum iniiciatur, affectibus et ratio-  
ni locus relinquatur. Tametsi autem vix quisquam,  
hominum in mero statu naturali existere poterit, sed o-  
portet, vt sit in statu aliquo civili, non tamen putandum  
est, omnes, ac singulos actus aut actuum species legibus  
ciuilibus coerceri, & totam libertatem ciuilem mere esse,  
sed relictus nihilominus etiam libertati naturali est locus,  
et multa quae iure ac libertate naturali licent, nullis legi-  
bus ciuilibus coercentur, horum exercitio nulli fines, nul-  
li termini, neque a lege neque ab homine praescripti sed  
cum libere agentium voluntati & arbitrio citra vllam neces-  
sitate relictum facere an omittere velint, et exinde ex  
ipso facto vel eius omissione nulla oritur obligatio aut a-  
ctio nascitur. Ecce aedificare in suo, ire in via publi-  
ca, ire ad hunc et illum furnum ex mera libertate agendi et  
non agendi naturali dependent, iura igitur libertatis siue  
res merae facultatis, nullisque legibus ciuilibus restrictae  
appellantur.

Non anxie compilabo haec florilegia, non denique  
confusum exordiar chaos, qua importuna sedulitate hodie  
nonnulli tam infeliciter magna moliuntur quam procul ab  
exemplo sapientum diuertunt. Sine quorum imitatione  
neque a viuis gratiam & a posteritate contemptum expectare  
debent.



debent. Dum enim disciplinae iuxta instructu et naturae  
dotibus destituti cognoscere causas rerum nesciunt, non  
tam ad veritatem quam ignorantiam et barbariem affectant  
viam. Crepant naturae crepant diuina et gentium iura  
sed Brocardicis miserrimis et mirificis distinctiunculis re-  
cta etiam detorquentes. Qui tamen si Molinam forte  
et Lessium, ceterosque paruulos deos, Baldo suo ac Bar-  
tolo miscueriut, tum enimvero *sincerae ac non simulatae*  
philosophiae sacerdotes audiunt. De praescriptione  
iurium libertatis ardua magis res est. Nos per vestigia *in Notis ad*  
illustris Ziegleri, incedentes hac via facillime expedie- *Grot.*  
mus. Quaedam sunt res merae et purae facultatis pu-  
blicae iure gentium, et iure libertatis naturalis omnibus  
competentes, et hae praescriptioni non subiacent. Hoc igi- *L. II. de Via*  
tur casu, nullo tempore nullo modo, nec nos contra alios nec *publica.*  
alii contra nos praescribere possunt. Equidem iure consul-  
torum regula est: *Ea quae merae sunt facultatis, hoc est, liberae*  
*voluntatis non praescribantur* haec enim quae a libera agenti-  
um pendent voluntate siue actus voluntarios necessitatem  
inducere contra naturam est istius libertatis, nec ius aut  
lex vlla id permittit, et conditioni ac libertati naturali reli-  
cta ius positium haut afficit; sed ipsa ratio eandem li-  
mitat regulam nisi prohibitio interueniat. Actus me-  
rae libertatis et absolutae nec dum lege ciuili restrictae  
aut temperatae, vbi: *formaliter* et quatales non usu non a-  
mittuntur aut praescribuntur, ita *materialiter* tantum con-  
siderati, hoc est quatenus sunt actus liberi possunt expre-  
sa conuentione prohibitioni subiici, et praescriptioni locum  
relinquere. Ecce facultati aedificandi in suo in aeter-  
num non praescribitur, conuentione tamen potest renun-  
ciare isti facultati et ita alteri ius seruitutis acquiri. Fa-  
cultas molendi in aliquo molendino libera est, sed si aliud  
accessurus prohiberis et acquiescis priori praescriptio cur-  
rere incipit. Deinde quamuis actus merae facultatis  
prohiberi non potest vt non quidem de iure, de facto ta-  
men



men prohibeatur et exigatur idque aut *bona aut mala fide*,  
si bona fide et ita quasi de iure prohibetur aut exigatur  
huic ab agente pareatur, ab utroque habetur actus pro ne-  
cessario, et intelligitur libertati seu merae facultati renun-  
ciatum, et hinc possessio alteri quaeritur, et conditio prae-  
scribendi, atque ius prohibendi aut exigendi. Denique  
quamuis actus merae facultatis a priuatis prohiberi de iu-  
re nequit, potest tamen a summa ciuili potestate, quoties  
utilitas ac salus reipublicae id efflagitat; summa enim po-  
testas, vim imperii metas atque fines actuum liberorum  
ad ciuium tranquillitatem et aequalitatem tuendam,  
praefigendo exercendi iure gaudet. Quaedam  
res facultatis limites transgrediuntur, et iura potius sunt  
quam res facultatis atque pariunt ius *deducibile* in iudicium.  
Quamobrem aditio haereditatis non est actus merae fa-  
cultatis, etsi enim libere fit, non tamen mere et in perpe-  
tuum, sed intra certum tempus aut fieri aut omitti debet.  
Non ignoro permultos esse qui errore viarum in aduersa ca-  
stra lapsi, de iure adeundi hereditatem et similibus multa,  
confingere conantur. Iure Romanorum constitutum est, ut  
omnis actio et omne ius XXX. vel XL. annorum praescriptio-  
ne elidatur et tollatur. L. III. L. IV. L. VIII. C. *de praescript.* 30.  
*vel 40. ann.* An iuri reluendi pignus praescribi possit pridem  
disputarunt interpretes, ut quid mihi reliquum sit sublegere  
haut facile inueniam. Sed pari iure, quo sua toties repe-  
tunt et eandem tibiam inflant, nemini credo nefas fuerit,  
tentare specilegium, & ista strictim repetere quae huc us-  
que inuicta manent. Haut feliciter istis succedit eruditionis  
laurea, qui nullis innixi fundamentis ius reluendi pignus  
ad res merae facultatis referre non dubitant. Meliore  
nim iure absurditatis titulo damnari potest, quod pro vero  
supponitur, ius luendi pignoris esse merae facultatis, et  
minime praescriptioni obnoxium. Descendit illud ius  
ex obligatione quam debitor in iudicium deducere potest,  
alioqui omnis actio et persecutio res merae facultatis  
dicens



dicenda esset, sed illud merae facultatis esse dicitur, quod  
citra illam obligationem aut conventionem cuiusque libe-  
ro arbitrio, iure omnium communi permittitur; Enimvero  
ius agendi de facto, ut loqui amant, siue ipsum agendi et nu-  
dum intendendi factum merae facultatis est eique neque  
praescribi potest: sed ius agendi cum effectu, ut obtineam  
quod peto, merae facultatis non est et praescriptione tolli  
nequit, quale est ius luendi pignoris debitori ex contractu  
quaesitum.

Alia ratio minus nos torquet: Praescriptio  
actionis demum incipit currere ubi actio nata est. LVII.  
§. 4. C. de praeser. XXX. ann. L. I. §. vlt C. de annal except.  
actio autem pignoratitia post solutionem aut oblatio-  
nem & depositionem pecuniae nascitur L. IX. & sequ. de  
pign. act. proinde ex eo tempore quo pecunia obla-  
ta aut soluta est, utpote contra actionem iam natam cur-  
rere incipiet praescriptio.

Verum enimvero hoc asser-  
tum nullo nititur fundamento; actio enim pignoratitia  
eandem cum iure luendi pignoris natiuitatis horum habens  
statim nascitur atque contracta est obligatio siue pignus  
creditori traditum. L. I. §. 6. de oblig. & action. §. vlt. I. quib. mod. re  
contrab. obl. Nec me remoratur assertum Vlpiani in lege  
IX. §. 3. de pign. act. pecuniam solutum esse debere ut na-  
scitur pignoratitia actio: Iureconsultus enim verbo *nasca-*  
*tur* aliqua ratione abusus videtur et de exercito huius actio-  
nis exaudiendus est, quasi illa si nondum institui possit  
effectu inspecto perinde habeatur ac si nondum nata  
esset.

Equidem inconcusso innititur fundamento pi-  
gnus contractum realem esse, et creditorem qui pignus ac-  
cepit eo ipso ad illud restituendum re obligari. Nec  
quicquam praesidii comparatum, quod assertis nostris op-  
poni possunt: Possessio creditoris ad usucapionem si pro-  
fit debitori absurdum est dicere praescriptionem creditoris  
debitori etiam nocere eique obstare, quo minus cum  
creditore actione pignoratitia experiatur, ut arguit doctis-  
simus Iureconsultus Cuiacius, ad L. XIII. de usuc. At

B

vero



vero non multum iuuat: Neque enim nostrum assertum  
est, creditorem post triginta annos defendi iure aliquo  
acquisitionis, aut propter usucapionem, sed solo tempore  
sine communi exceptione temporis, quo ex lege Theodosii  
omnis actio finitur. Atque ideo hic nec titulum nec  
bonam fidem requirimus, sed sicut in actionibus tempo-  
ralibus anni vel biennii veluti iniuriarum et doli frustra  
de bona fide quaeritur, ita et in hoc casu post XXX. annos.  
Alias nec actio commodati aut depositi tanto tempore fini-  
retur. Rem igitur nondum satis expediunt, qui L.  
XXIVC. *de rei vind.* L. vii. C. *de usuc. transform.* obiciunt,  
quippe quibus locis agitur de usucapione aut longi tem-  
poris praescriptione modis acquireudi dominii, aut iuris  
alicuius dominio proximi, qui sine iusto titulo et bona fide  
veraue possessione non procedunt. At nos agimus  
de actionis personalis praescriptione, quam sola parit  
negligentia non petentis et lapsus temporis. Sic etsi  
precario possidenti nec longissimo tempore acquiritur,  
proprietas L. II. C. *de praeser.* XL. ann. interdictum tamen et  
actio personalis XXX. et XL. annis finitur L. III. et L. IV.  
C. *eod. tit.* Nec officit L. X. et L. vlt. C. *de pign. act.* quid  
quod magis nobis sufficit, quod etiam Cuiacius fateri co-  
actus, loquuntur enim imperatores de actione pignoratitia  
iam nata et cum effectu competente scilicet iam  
facta, aut oblata consignataque pecunia eamque longo  
tempore, tolli negant, cum tamen eam tolli tempore lon-  
gissimo nemo sit qui affirmare dubitat. Deinde obici-  
unt; quod creditor plus lucraretur, quam in debito prin-  
cipali esse solet quo ipso lex commissoria contra L. fin. C.  
*de pact. pign.* locum sortiretur. Verum facilius responsio  
est, nimirum in genere hanc usucapionum naturam esse,  
dominium vni auferre & alteri adiacere L. III. *de usucap.*  
cum vigilantibus iura subueniant. Et nonne usucapi-  
ones plurimis in casibus merum adferunt lucrum, vt ex  
caussa depositi commodati et consimilibus procedunt? vt  
tanto



tanto minus absurdum fit quandoque et hoc in casu ex  
 praescriptione plus consequi creditorem, quam mutuo de-  
 derit. Sunt quidam, qui interius reluendi pignoris et  
 redimendi ex pacto de retrouendendo multum interesse  
 statuentes ius ex pacto repetendi rem venditam praescrip-  
 tionem subiiciunt; hoc enim ius est ex contractu descen-  
 dens et actionem pariens, quae hic iam nata esse dicitur  
 ob pactum initum L. XIII. §. 8 & LXXV. de action. emt. Ita-  
 que si res aliqua venierit, cum pacto de reuendendo sine  
 vlla temporis determinatione puta, vt fas sit venditori  
 quandocumque sibi libuerit redimere non nisi contra XXX.  
 annos redimere poterit, actio enim personalis, quae ex hac  
 conuentione nascitur L. II. C. de pact. inter emt. tanto tem-  
 pore tollitur. L. III. C. de praescr. XXX. ann. neque clausulae  
 semper quandocumque extendi debent ultra terminos iure pu-  
 blico actionum durationi praescriptos. Tametsi igitur  
 haec iura tanquam res merae facultatis nulli succurabe-  
 re praescriptioni, iureconsultos secutus voluit legis-  
 lator Saxoniae nostrae electoralis D. Augustus p. II. C.  
 I. nos tamen innixi rationibus affirmantem amplectimur  
 sententiam. Etenim quo minus sententiae isti sub-  
 scribamus impediunt illae constitutiones quae diserte  
 volunt, omnem actionem et omne ius siue priuatum si-  
 ue publicum XXX. et XL. annorum spatio excludi. L. III.  
 L. IV. C. de praescr. XXX. ann. L. I. §. I. de anal. except. Heic  
 amplum daretur spacium, digrediendi ad varias materias  
 et multo plura haberemus vt primae hae delibationes locu-  
 pliores prodirent; Sed vltius progredientibus manum  
 iniicit angustia temporis itaque inuiti abrumpimus, alia  
 occasione, quae nunc paraueramus repraesentaturi, atque  
 ita veteri verbo hanc doctrinam obfirmamus.

*Consul. B. Lei-  
 serus vir ae-  
 ternum in re-  
 rum fama  
 mansurus, in  
 suis eruditis  
 Scholis publi-  
 cis de prae-  
 scriptionibus.*

MELIORA MELIORES

B 2

DE





## DE NOVALIBVS.

**T**Ria noualium genera Innocentius III. epistola ad Caesaraugustanum Episcopum tradit quorum priora duo apud veteres frequenter; postremum ex usu iuris Canonici nomen accepit. Vniuersum enim nouale, *νεαρον νεομαρον* dicitur terra quae aliam faciem a pristina siue per culturam siue quacunque tandem cura accipit et nouatur. De agris quietis atque alternis tantum annis nouandarum virium causa conferi solitis, (quales ab usufructuario nequeunt tanquam *restibiles* coli arg. L. XV. §. 1. de *Usufr.*) Cuius L. XXX. §. 2. de *Verb. Sign.* et Virgilius *Eccloga* I. et primi *Georgicorum* versu LXXI. loquuntur, nisi in *Eccloga* forte alterum noualium genus nempe proscissum, primum sylua excisa agrum exquerelae acerbitate et verbis tam culta noualia colligere velimus. Apertius declamator Quintilianus pro milite Mariano: *Ludus fuit rotare saxa, vibrare iactu sudes saltus agitare venatu mox vigentibus lacertis humum scindere, segnem futuris noualibus eruere syluam.* Qui olim Germaniae nostrae horridae syluis, tristisque aspectu, ac plaudibus foedae necessarius labor, neque nunc exerceri desit. Hinc sylvas habemus quidem, sed ad necessitatis et vtilitatis modum: quem focus et opificia et mercatura circumscribunt. Saepe numero priuatis liberaliter spatium certum locorum eiusmodi a summa potestate, vt succisis arboribus et eradicatis, aut palustri terra humanos in usus praeparatu ferendis arboribus, fructiferis et frumentariae rei paulatim assuefaciant. Quin idem priuato cuique domino in re sua liceat, vt syluam, aut partem eius itemque hortum frumenti causa excidat, vel agris horti induat amoenitatem, vel pascua ad frugum fertilitatem vt cap. IV. de *decimis* loquitur, transferat aut succiso oliueto reponat nouellam, ne dubitari quidem potest



potest quum rerum suarum arbiter quisque etiam abuten-  
do statuatur L. XXV. §. II. *de hered. petit.* Sed quoniam  
publicae utilitatis perpetua et potior haberi utique ratio  
debet, facultas illa intuitu huius recte coercetur. Non  
igitur eradicare sine indultu syluam licebit ex cuius inci-  
sione aditus invasioni hostium praeccludi potest: non  
etiam si lignorum copia haberi aliunde nequeat. De  
aedificiis vrbanis iure civili cautum legimus ne diruantur  
aut collapsa tollantur horti faciendi causa arg. L. LII. *de*  
*contrar. emt. veud.* L. II. C. *de aedif. priu.* Quod facile  
alias ruinis deformari urbem aut aedificiis eandem destitui  
sit futurum. Collapsa igitur reficienda sunt denuo, ni-  
si specialis ratio contrarium indulgeat. Non permittitur  
liberalis ponendi facultas, vbi seruitutis et similia aliis iam  
fuerint acquisita. Qui enim ius in re sua concedit ali-  
cui, nequaquam arbitrium eius plenissimum sibi reser-  
uasse censetur nec potuit; sed tacite nihil aut facere pro-  
mittit, aut tentantibus indulgere quo constituti iuris vsus  
impediatur. Neutiquam igitur iure suo vti, proprie-  
tarius vere dicitur, quod nescio inuitoque, cui per con-  
ventionem vel quavis tandem via debebatur vsurpat;  
etiam vbi magna exinde ad rempublicam utilitas redit, et  
verbi gratia: facilis passim arborum copia, non eadem  
annonae, ex agrorum defectu, inuenitur. Etsi enim  
aequisimum eo casu est vt transigi usufructuarius secum  
patiat, renuenti tamen sine iniuria adimi ius legitime  
quaesitum a priuato quantumuis absit propositum nocen-  
di, nequit. Quare consensus domini utilis, vel fructua-  
rii, de quorum praeiudicio agitur adhiberi aut alio quocun-  
que modo in compensationem damni aliquid praestando  
transigi debet. Ex quo apparet, si quis ius venandi aut  
forestae habeat in fundo syluaque alterius proprietario non  
interdici quidem competentem vsus at minime permit-  
ti, vt extirpet radicitus arbores omnes ac noualem agrum  
faciat. Ad impensas a non domino innoualia factas,  
B 3 quod



quod spectat, iureconsulti nostri L. XXXIX. *de hered. petit.*  
LVI. *de impens. in dot. fact.* inutilibus referunt si nouelletum  
in dotali fundo a marito repositum sit. Alias perpetua  
regula comprehendi non potest, quatenus impensae ac  
necessariae aut vtilis fuerint, sed ex indigentia et usu re-  
rum pro locorum indole debet aestimari. Alibi enim  
maior ex agrorum, alibi ex hortorum alibi ex vinearum  
prouentibus utilitas redit. Dubitabatur etiam si vir in-  
functo dotali uxoris rogatu oliuetum succidens nouellum  
faceret, posteaque mortuus uxori dotem relegaret, utrum  
ligna, quae ex oliueto excisa essent, oportere mulieri re-  
stitui? Nam marito tanquam fructus, cessisse videban-  
tur: Respondit Alfenus. L. VIII. *de fundo dotali restitui o-*  
*portere.* Nisi enim caeduae arbores vel gremiales fue-  
rint, in fructus non veniunt, et quasi deteriorem fundum  
fecerit, maritus tenebitur arbores decidendo. Sed & si  
vi tempestatis ceciderunt, idem dicendum L. VII. §. 12. *So-*  
*luto matrim.* Igitur maritum culpa liberavit, si quod da-  
mnum forte accepisset uxor antecedens huius voluntas.  
Magis adhuc est, ut mulieri addicantur ligna si sumptibus  
eius vir excidi curauerit. Tributa & decimae, quae no-  
ualium horum nomine soluenda sunt remittuntur inter-  
dum ad certos annos, ut eo magis ad culturam fundo-  
rum parum alias reipublicae utilium ciues excitentur.  
Sic aedificia noue exstructa onerum exemptione aliquam-  
diu alicubi gaudent, ne solvendi necessitas a salutari propo-  
sito alios deterreat. Sed haec priuilegiorum concessio  
ex publicae rei usu aestimanda. Potest enim ad quem  
ius tributorum pertinet, vel augere exactionem vel remit-  
tere intuitu fructuum, qui ex noualibus a possessore per-  
cipiuntur similiter etiam decimas antea de istiusmodi terris  
solui consuetas, Papa Hadrianus cap. IV. *de decimis* prae-  
stari iubet: sicut et cap. XXIII. ibidem ex molendini ob-  
uentionibus decimae poscuntur, quod de prouentibus ter-  
rae in qua exstructum erat, soluebantur. Quod si con-  
tingat



tingat casus priuilegium loco alicui genere certo fructuum  
confito, concessum fuisse, eundem vero aliis postmodum,  
iisque maioris usus ac pretii, et quorum causa decimae  
praestari solent, destinari, quin illae exiguntur possint,  
nullum est dubium. Aggredior ad tertiam speciem no-  
ualium quae Innocentio III. definiente *sunt agri de nouo ad  
cultum redacti de quibus non exstat memoria, quod aliquando  
culti fuerint.* Lancellotus inst. II. tit. XXX. §. 10. ita  
nouale definit: *est ager nunc primum proscissus, et nuper ad  
culturam redactus: de quo quod aliquando cultus fuerit, memo-  
ria non extat.* Ad illustrem Zieglerum celeberrimum  
Germaniae iureconsultum, in suis eruditis ad Lancell.  
animaduersionibus. Sane nihil incommodi habent  
hae descriptiones, si verba legis III. extremo *de Termino mo-  
to*: aut aliquid eiusmodi faciunt per quod scilicet facies  
locorum conuertatur, de agris, desertis diu ad culturam  
redactis intelligas; quamquam receptior usus priores si-  
gnificationes duas sub vocabulo *novalis* approbavit. Nec  
ius canonicum illas, sed singulari tantum casu per noua-  
le memoratas in cultas terras vult intelligi. Initio igi-  
tur ponimus locum incultum, ex quo scilicet utilitas  
antea nulla qualem ex hortis, ex pratis aliisque cul-  
tioribus locis haurimus percipiebatur. Neque  
huc pertinet nouale, quod ex sylua, extirpatis arboribus  
terraque ad culturam, redacta fieri consuevit, quum  
diserte illud in capitulo nostro generi huic ultimo opponatur.  
Secundo loco requiritur nunc, primum proscissus  
et nuper ad culturam redactus sit adeo ut antecedentis  
culturae memoria non exstat. Quicumque igitur ager  
intra memoriam hominis excoli coepit nequaquam noua-  
lis audiet, neque in priuilegiis quibus decimarum exac-  
tio, exceptis noualibus alicui permittitur intelligendus  
venit. Hinc etiam occurrente casu quo excisa sylua  
praescissione praeo ager seu hortus fieri coepit, coli ve-  
ro ab aliquo tempore desiit, in noualibus nequit haberi,  
licet



licet post viginti triginta quinquaginta aut plures annos, qui humanae memoriae statuuntur limites cultura redintegretur. Solent inculta eiusmodi loca in dubio reipublicae esse praesumi, nec fiunt occupantis, sed in modum praediorum quae stipendiaria et tributaria Romanis appellabantur in recognitionem domini vectigal certum nunquam penditur. Neque liberantur a decimarum praestatione ipsi domini, qui longa fortassis bellorum calamitate neglectos fundos hereditario iure ad se transmissos recolare inceperunt piis enim tantummodo locis siue monachis id priuilegii datum vt manibus suis vel sumptibus excolentes noualia decimas non persoluant. Quod Hadrianum IV. auctorem habet referente cap. X. *de decimis.* De terris autem aliis excolendis traditis et hoc teneri Alexander III. cap. XI. ibidem rescripsit.

III.

### DE FEVDO LIGIO ET NON LIGIO.

Vulgaris admodum vtque audit magistralis feudi distinctio est, *in ligium et non ligium* quorum illud plenius qua substantiam et naturam feudi cum effectis in dependentibus. De vocabulo litem non moueo et homagium ligium etiam in epistolis Innocentii III. inuenire licet. Hoc disceptari solet vtum pro diuersis specie feudi ligium et non ligium possint haberi? Negauit enim Hotomannus et post eum varii quem Bitschius, Ludwelus, Eybenius et plures alii oppugnarunt. Ad Hotomanni sententiam ista videntur facere. Nulla conuentio tam expressa et dilerta solet iniri, quin tacite semper condiciones tanquam improuisa obligationis laxamenta intelligantur. Hinc vbique ac semper, etiam, a silentibus excipitur: *si poterit fieri* sicut autem iniquum omne moraliter impossibile est,



Vir Excell. Ampl. atq. Confutissime, Dne Georg. Tobias Alberti J. U. D. Celebratissimi  
Patrone Praef. gravissime, Patrone aviternum colende. Vel et Politice atq.  
Doctice Dne, Affuens, Factor atq. amice singulariter honorande.

Ad Vobis quidem, ad opponendis Subfellia occupanda, horum sum innotatq. quo et libe-  
me contuli; Verum cum temp. a priorib. Dns. Comilidonib. doctiss. suis Object  
nib. sit preceptum, exiguum video spatium, quo petitis vestris gratificari queam; et t  
propter temporis inopiam, tum ob rei veritatem, eiusq. jam factam discussionem, sic s  
sistere possim, nisi mihi debiti mei ratio, aliis padeat. Idcirco ut Auditorio huic Doct  
simo, si non in totum, tamen in quantum satisfaciam, unicui tantum argument  
proferam, quod ut a Vobis benevole excipiat atq. Doctissima Responsione illustret, est q  
sumopere peto, atq. contendo.

Confero itaq. me ad Disputationis Vestra Sectionem Tertiam, ubi quaedam ex Jure Feu  
dali deprehendo, quod miror, nec ex Titulo hoc colligere potui, quod est Delibationis Jur  
Nunc autem notum est, quando Jure simpliciter sit mentis, q. intelligi Civile Rom  
num (quod etiam ex d. 12. Tit. de Jure. N. P. et C.) adeoq. iuxta inscriptionem hujus D  
tationis o video a vobis recte factum fuisse Juri Civili miscere q. Feudale, quod ta  
men non adeo urgeo, obiter tamen moneo atq. propis ad Sectionem Tertiam temp  
quippe Literaturae me accingo, in qua divisionem Feudi ligi & non ligi exponitis,  
nullo tu. innixi fundamento, nam quomodo possum Gentiam alicujus rei explac  
cum propt nulla de h. existentia, cum non entis nulla sunt affectiones nec qual  
tes quod m. de feudo ligio sequenti Rationibus asserendum venit: Quodcumq. pla



quocumque plane existit, de eo male tractatio instituit; Feudum ligium existit. De  
eo male tractatio instituit. Major probat quia o entis nulla est qualitater nec species.  
Minor probat ex duplici ratione, quarum prima est: Quicquid in iure feudali o  
reperit, nec ibi de eo tractatio instituit, illud o potest ad ius feudale referri; Atq de  
Feudo ligio nulla in iure feudali tractatio instituit; E. male ad ius feudale referat.  
Minorem ex eo probo, quia nullibi in corpore iuris feudalis ei sit mentio, quando a do-  
bis statuit, locum nisi quosdam afferatis ubi illud reperiat. Rsp. t. Typ. 2. Feud. Tit. 52.  
Hic textus allegatus est ordinarius, & sic plane nihil facit, adeoque inde nihil firmiter con-  
cludi atq probari potest. R. t.

Altera ratio hoc nihil fundamento, quia, si in quolibet feudo regat, ut Vasallus ad Dominum  
contra quemcumque nemine excepto, fidelitatem prestare debet, textus quod male feudum li-  
gium, tanquam distincta species, statuat. Atq verum est prius. & posterius. t.  
Prius probat quia feudum propter fidelitatem contra quemcumque non ob aliam rationem conceditur.  
Consequenter probat quia propterea aliquod distinguitur & dividit, propter diversam naturam,  
nam autem cum una sit feudorum natura, o opus e ulla distinctione. t.  
Ad quod tempus perlassim, sic subsistam, gratias prius solvens maximas. Gess. Dno. Praesidi,  
quod tenue hoc argumentum boni consulere, doctissimaq sua responsione illustrare  
voluerit. Sicuti n. exinde singularem erga me benevolentiam aspicio, ita dabo ope-  
ram ut istam officio meis paratissimis restituere valeam. Ceterum tibi Notul.  
Dno. Rsp. gratulor de hoc Specimine, grater atq fundo quod meae lever objectiones serena  
fronte excipere, doctaq responsione dignari o renuerat; Sedam precatq velit tua coepta studia in  
Stivissimam sui nominis gloriam, ac Reipubl. Literariae Instrumentum dirigere, ad metam  
optatissimam perducere.



est, ita ne utiquam eo casu tenetur promissor quantumvis nihil eius monuerit. Qui parentibus obsequium omni modo pollicetur, non obstringitur turpia imperanti. Quod si vero certissimus fueris nihil indecori, quodque conscientiam et bonos mores laedat, iussurum, cur non simpliciter ac quiduis tandem exigendi obedientiam debeas nullus video. Ista obligatio tamen nihil maior priore conditionali, neque haec minus stringens prae illa. Qui enim sub conditione obligatus, quantum ad imperia, quae exceptionem cessante omni genere impedimentorum non admittunt absolute pleneque tenetur: ac illud tantummodo utrinque interest, quod ex generali promissione obsequii, propter exceptiones forte orituras *conditionalis* at vero, ubi nihil impedimenti interuenturum certo nouisti pura obligatio nascitur. Videamus iam contractum feudalem quo vasallum contra omnes domini hostes auxilium fidemque generaliter polliceri posse, minime vero eundem ad impossibilia se obligare sponte conceditur. Quicumque itaque nemini ea fide deuinctus est, ut laesio quaeuis (nisi ex maiore causa piaculum habeatur, is contra uniuersos auxilium licite promittet: Nihil enim committit iniqui hoc tantummodo deuitare iubetur. Generatim igitur aduersus cunctos vasallus spondens operam, si dominum antiquiorem si superiorem non habet, pure sin verbo sub conditione obligatur. Quae obligatio utrinque aduersus omnes est, contra quos assistere salua conscientia licet, ut vero illic nullus inueniatur, cuius intuitu restringatur vinculum mere accidentarium esse opinor. Contra ea dominus quoque mutuam fidem pollicitus, ad possibilia tantum se putatur obstringere. Vnde fieri potest, si nullum antiquiorem vasallum aut superiorem nullum habeat, contra omnes ut teneatur, sin vero solummodo excipiantur illi de quibus dixi.

C

igitur



Igitur nunc vtriusque et vassallus et dominus ligii esse possunt, nunc alteruter nec speciale videtur ut fidei obligatio, quantum ad ligiae qualitatem in feudo mutua non sit, dominusque aliqua heic praerogatiua gaudeat. Talis autem iutuitu personarum, contra quas praestatur auxilium ligios vel non ligios, appellari posse non repugno. Neque absurdus esset, qui vassallum respectu alterius generis seruitiorum, quantum ad possibilia ligium nominaret, quantum autem ad impossibilia, non ligiam. An vero diuersa obligationis species hinc oriatur admodum dubito. Qui distinctam iuramentorum formulam in praesenti argumento vrgent, nondum efficiunt quod volunt. Nam formula in se obligationem non mutat, sed illa vel restringitur, vel laxatur prout causa exceptionis abest. In idem vero recidunt: promittere idem in omnibus omnino, siue contra omnes, si nouisti iniqui nihil imperari posse; et promittere fidem in omnibus omnino exceptis impossibilibus, siue contra omnes excepto vno alteroue quos laedere piaculum est. Vbicunque equidem vinculum nullum est necesse potest (quod obseruatur in turpibus) inde etiam nequit maioris aut minoris obligationis differentia, peti, quum neutriquam arctius obstrictus sit, qui ad possibilia omnia, quam qui ad omnia exceptis impossibilibus sese obligauit. Hinc etiam rectius fortassis differentia specifica statueretur ac nomen ligii vel non ligii locum inueniret, si quis in seruitiis non prohibitis, aut contra tales personas contra quas assistere permissum, vel simpliciter ac plenissime, vel restricte exceptis scilicet nonnullis deuinciretur. Nihil ergo discriminis inter ligium vassallum & non ligium deprehendo, quam istud solummodo illum ob cessantem prohibitionem contra vnum alterumue adhuc amplius obligari. Quamquam vero plus et minus in moralibus variant speciem



ciem non tamen passim illud ac nostro casu obtinebit. Sane quidem quotiens restringitur obligatio non ex natura rei, & quia illiciti quid comprehendit, sed ex obligantis solius arbitrio, tunc illam specie distinctum ab illimitata obligatione reddi nullus inficias eo. Quodocunque autem contra omnes omnino aequali vinculo quidam obstricti sunt, alter autem adfistere aduersus plures ideo tantum nequit, quod plures non occurrunt, tum profecto ius specie diuersum oriri nemo ex animo asseret. Nec enim obligatio, sed personae deficiunt: et testator de vniuersis bonis disponendi facultatem habens, non minore ideoque speciali iure nititur quam alius qui lautiore iure constitutus testari de pluribus potest. Militis obligatio qua principi suo contra omnes hostilis exercitus copias fidem ac operas debet, non specialem naturam induit, si Titius forte, principi eidem contra alium numero maiorem exercitum sese deuouent. Vinculum enim non dependet a numero sed aduersus omnes omnino operatur, vt vero contra plures iste, ille contra pauciores teneatur, de certare mere est accidentarium. Et fac mutari fortunam, et alterum augeri exercitum alterum minui, quis obsecro conuertit obligationis speciem statuatur? Quae autem ratio est, vbi naturaliter desunt, contra quos obligeris et adfistas; eadem fuerit vbi propter morale impedimentum (quia scilicet fieri nequit vt obstringaris aduersus eos quos laedere nefas censetur) tales, non existunt. Finge autem illic cumulari hostiles copias hic tolli impedimentum, mortuo forte superiore et antiquiore domino iuxta cum iure feudi extincto equidem non minus adhuc eadem aduersus cunctos obligatio perdurabit. Sed nobis subsistendum aliquando est, ac faciendus differendi finis. Et forsitan videbimur quibusdam cum Albutio Rhetore non quae debebant sed quae poterant dicere voluisse. Tu benigne lector, si quae nondum excussa satis, et mi-



nus elaborata, si quae alia humanae imbecillitatis vestigia  
deprehendes facile ignosces non omnia peruidenti. Si  
tractandi modum, si alia plura quae apud varios dispersa,  
passim coacta et illustrata spectaueris, *pauca vetusta, plura  
inuenies vel noua vel noue repexa.* Caeterum iniqua vul-  
gi fastidia, mordacesque illorum voces, quibus promptius  
est carpere vel optima quam capere ac imitari; aut propel-  
lamus instar culicum leui manu & sine ira; aut forti sto-  
macho concoquamus: sicut pluias ac tempestates  
ac reliqua anni incommoda perferre  
debemus.

GRATIAS TIBI BENIGNISSIMUM  
NUMEN.






Wittenberg, Diss., 1688-89

ULB Halle  
003 731 693

3




f  
56.


1017











491. 1689 / 19

**DELIBATIONES IVRIS**

**SECUNDO NUMINE**

FAVENTE

MAGNIFICO IVRECONSULTORVM ORDINE

*PRAESIDE*

**GEORG. TOBIA ALBERTI D.**

PVBlice PROPONET

**CHRISTOPHORVS BINDERVS**

BISCHOFFW. MISNICVS.

MENSE AVGVSTO clb lbc LXXXIX.

VITEMBERGAE

LITTERIS SCHVLTZI.